



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 2. Quomodo Conciones de Beatissima Virgine in peregrinatione institui debeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

amatæ Deiparentis promovendum. Quilibet ergo sibi applicet illud Christi dictum Matth. 5. *Sic luceat lux vestra* amor Mariaus) *coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum (& Matrem) qui in caelis.* Certòque confidant in illis hac ratione impletum iri, quo Eccl. 24. promissum est; *qui me elucidant, vitam æternam habebunt.*

Epilogus.

Atque ex his satis nunc patet, quomodo columnam spirituales rituales Monacensi similem erigere debeatis. Superest manus operi admoveatis, & unam partem post alteram adificetis. Profectò sic in medio vestri existens Virgo potentissima potentius vos, quàm ulla salva guardia defenderet; & copiosiore vobis benedictionem afferet, quàm olim Abca Dei domui obediendo attulerit; quousque tandem, sicut olim columna Israelitas ex Ægypto eduxit, & introduxit in terram lacte & melle manantem, ita & vos hæc columna hæc miseriarum & lacrymarum valle educat, & in terram promissam æternæ felicitatis introducat. Amen.

§. II.

Quomodo Conciones de B. Virgine in peregrinatione aut processione institui debeant.

Scopus.

Voluntas propria ad exemplum & honorem B. Virginis exuenda.

Thema.

Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum Luc. 1.

Syllogismus principalis.

Tunc voluntas propria merito relinquenda est, quando hæc sequitur Deo & B. Virgini gratissimum est.

Atqui est gratissimum,

Ergo merito relinquenda est.

E X O R D I U M.

Pia & antiqua consuetudo est, ut ij, qui sacram aliquam peregrinationem ad locum aliquem miraculis, vel alio quocunque titulo celebrem instituunt, donum aliquod Sancto illi, cui talis locus vel templum dedicatum est, offerant, ad amorem suum copiosius demonstrandum; cum ergo & vos hodie cum magna devotione & modestiâ ad hoc B. Virgini consecratum templum peregrinati sitis, non dubito, quin & vos parati sitis, liberalitatem vestram insigni aliquo dono erga hanc Sanctissimam Virginem demonstrandi; verum quid potissimum offerre debeatis, nescire vos credo, atque adeo ardentem ex me cupere intelligere; huic ergo desiderio ut satisfaciam, ostendam vobis in hac concione donum, quod & gratissimum ex omnibus B. Virgini sit futurum, & quod ab omnibus vobis, etiamsi pauperrimi sitis, facile, modo velitis, offerri possit; nil unum ergo superest, ut & me attentè audiatis, & animos ad offerendum hoc donum interea præparetis.

Propositio.

Legitur in vita S. Ignatij Fundatoris Societatis JESU I. i. c. quod, cum cælesti lumine illustratus mundi vanitatem agnovisset, atque adeo penitus ei valedicere, totumque se DEI servitio tradere decrevisset, more militibus recepto, in monte Serrato noctem totam antearam B. Virginis insomnem inter preces transegerit, armæque sua militaria, quibus mundo prius militaret, ante altare suspenderit, ut vel hoc actu ostenderet, & protestaretur, quod non jam deinceps mundo militare sed alia arma assumere, præliæque Domini præliari decrevisset. Quam gratum fuerit Sanctissimæ Virgini hoc obsequium, eventus probavit, nam & miris consolationibus repletus est, & in alium virum mutatus, singularem DEI sanctissimæque Matris ejus assistentiam, & protectionem, præcipuè adversus carnis rebellionem, per totam reliquam vitam est expertus, quod S. Ignatius visibiliter præstitit, idem ego à vobis invisibiliter & spiritualiter præstari cupio. Cupio, inquam, non ut noctem totam hoc in templo insomnem transigatis,

Instru. VII.

K

gatis, sed ut arma, quibus hactenus Diabolo & mundo militatis, propriam scilicet voluntatem ad honorem Sacratissimæ Patronæ vestræ suspendatis. quod ipsum, ut feliciter profectis, sciendum in primis est, quid sit voluntas propria; quam quidem bene S. Bernardus s. 3. de resurr. Dom. explicavit, dum dixit: *voluntas propria est, qua non est communis cum DEO & hominibus, sed nostra tantum: quando, quod volumus, non ad honorem DEI, nec ad utilitatem proximi, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere DEO, & prodesse Fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum.* hæc ergo voluntas est instrumentum illud, quo potissimum mundo & Demoni hactenus militavimus, quoque toties DEUM homines hæc offendimus, uti rectè idem Sanctus Bernardus ostendit dum in cit. sermone dixit: *cessat voluntas propria, & infernus non erit. In quem deserviet enim ille ignis, nisi in propriam voluntatem? nam propria voluntas DEVM impugnat, & adversus eum extollitur; ipsa est, qua Paradisum spoliat, infernum ditat, sanguinem Christi evacuat, & ditioni Diaboli militiam subiugat.* hæc ergo voluntas hodiè suspendetur à vobis, si fidelissimum feceritis decretum, deinceps, non quod vobis gratum, & volupe, sed quod DEO honorificum & placitum, vobis autem & proximo ad salutem vestram utile esse cognoveritis agendi, hoc donum aio, B. Virgini gratissimum, ejusque oblationem vobis utilissimam fore.

Confirmatio.

Et 1. quidem quòd beatæ Virgini gratissimum sit futurum vel ex eo patet, quòd ipsa idem cum DEO iudicium & sensum habeat; atqui constat, DEO nihil esse gratius, quàm propria voluntatis abrogationem, id quod ipse 1. Reg. 15. sac. clarè indicavit, dum per Samuelem Sauli dici iussit: *nunquid tibi Dominus holocausta, & victimas, & non potius, ut obedias nomini Domini? melior est enim obedientia, quàm victima; & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Id ipsum clarè illuminatissimus Blofius c. 2. de instit. Spirit. confirmavit, dum dixit: *nihil Deo gratius offerri potest, abnegatio propria voluntatis, quia homini nihil charius est voluntate & arbitrii libertate: hæc enim est quasi arbor & radix omnium operum*

operum & fructuum hominis: hæc clavis est ad omnia reli-
qua bona ipsius: hæc domina est omnium affectuum & po-
tentiarum hominis: Sicut ergò haud dubiè multò gratius
obsequium præstat, qui totam arborem donat, quàm qui fru-
ctus tantum illius offert; qui clavem ad omnes divitias,
quàm qui partem tantum tradit: qui Dominam ipsam, quàm
qui tantum pedisequas illius alterius dominio subijcit, ita
dubitandum non est, gratius DEO, & consequenter etiam B.
Virgini præstare obsequium, qui propriam voluntatem,
quàm qui aliud quodcunque donum, velut fructum aut par-
tem illius offert, quæ ipsa veritas alio adhuc exemplo non
obscure confirmari potest, quòd scilicet nullus tam perfectus
amoris actus excogitari aut elici queat, quàm quo suam DEO
Divinitatem gratulamur, & quantum in nobis est, omni stu-
dio integram conservamus; hinc S. Augustinus vehemen-
tiam sui amoris explicaturus, non melius id præstare se posse
censuit, quàm si diceret, se, si Divinitatem possideret, ipsi eam
cessurum; hinc & senes in apoc. n. 4. ponebant coronas suas
ante thronum dicentes: *dignus es Domine DEVS noster acci-
pere gloriam, & honorem & virtutem, quia creasti omnia, &c.*
atque hanc Divinitatem nullus melius gratulatur DEO &
conservat, quàm qui propriam suam voluntatem relinquens
ad nutum DEI vivit; nam, ut S. Anselmus rectè advertit, so-
lus DEUS, quidquid vult, debet velle propria voluntate, ita
ut aliam, quam sequatur, non habeat supra se; Sicut ergo,
cum homo vult aliquid per propriam voluntatem, suam quasi
DEO coronam adimit, ita qui eam relinquit, & cum divina
voluntate conformat, coronam suam ponit ante pedes DEI,
atque ut ille totus tanquam Rex supremus eam possideat, op-
tatur, quod non potest non DEO gratissimum acci-
dere.

Quòd verò etiam nobis hæc oblatio sit utilissima futura,
vel ex eo conijcere possumus, quòd, sicut DEUS utpote sum-
mus Zelator honoris sui non patitur se vinci liberalitate, ita
neque passurus sit sibi & Sanctissimæ Matri tam pretiosum
donum offerri, quin majorem vicissim liberalitatem ipse vo-
bis sit ostensurus, eam nempe quam, ut ante vidimus, S. Igna-
tius est expertus, & ipse olim S. Davidi promisit; dicens:

Inveni David virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Oleo Sancto meo unxi eum, manus enim meae auxiliabuntur illi, & brachium meum confortabit eum, act. 13. quibus verbis insignes tres gratiæ, in quibus tota felicitas hominis consistit, indicantur; quarum prima illis verbis: *Oleo Sancto meo unxi eum*: indicatur: oleum scilicet lætitiæ per confortibus suis, ut ps. 44. ait, seu pax, quæ exuperat omnem sensum. hanc pacem DEUS per Isaiam 48. promisit, dum dixit: *utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut fluxus pax tua.* nam si radicem inordinatorum nostrorum affectuum, per quos potissimum pax nostra turbatur, indagemus, deprehendemus, eam non aliam esse, quàm propriam voluntatem, uti pulchrè Abbas Pastor olim declaravit, dum quæsitus ab Eremita Abraham, cur Dæmones ipsum adeò oppugnant? respondit: non pugnant nobiscum Dæmones, quia nostras voluntates facimus, quia voluntates nostræ Dæmonibus factæ sunt; & hæ sunt, quæ tribulant nos, ut faciamus eas, hæ ergo si vincantur, plena pax erit, atque adeò verificabitur illud Apoc. 2. *Vincenti dabo manna absconditum*, id est, voluntatem meam, quæ omnem saporem afferet, quatenus semper habebit id, quod desiderat.

Secunda gratia indicatur per illa verba: *manus enim meae auxiliabuntur ei*: estque nihil aliud, quàm copiosa gratia quam DEUS tali homini, conferet ad omnia sua tam temporalia, quàm spiritualia negotia ritè feliciterque obeunda, ut de ipso, sicut de Sancto David dici possit 1. Reg. 18. *in omnibus quoque viis prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.* Unde & ipse illud Christi usurpare poterit: *& non reliquit me solum, quia, quæ placita sunt ei, facio semper.* hoc est, quod DEUS olim per psalmistam ps. 1. significavit dicens de viro, qui non abiit post consilium impiorum voluntatem propriam sequentium, sed in lege Domini voluntas ejus, quod scilicet erit tanquam lignum juxta decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo, & omnia, quæcunque facies, prosperabuntur. Id quod S. Ignatius post arma sua suspensa copiosè est expertus; quis enim nescit, quàm felices hic in Sanctissimus progressus in omnibus negotiis suis sit sortitus, quàm prosperè societatem suam condiderit? quàm magnè intro-

incrementis eam adhuc in terris existens adauctam viderit ? nimirum, quia vir secundum cor Dei erat, & omnes voluntates ejus non suas faciebat, ideo non digitus tantum, quo minor gratia & auxilium significatur, sed *manus* qua voce copiosum auxilium denotatur, ei *auxiliabatur*.

Tertia gratia per ultima verba : *& brachium meum confortabit eum*: indicatur, *singularis* scilicet *protectio*, qua DEUS virum secundum cor suum defendit. Et verò id DEUS copiosè tam in S. Davide, quàm in Sancto Ignatio ostendit; quis enim non legit aut audivit, quàm multos gravesque inimicos hi viri habuerint ? quamque mirabiliter ab omnibus eorum insidiis fuerint liberati, ita ut S. David tali auxilio confusus audacter ps. 22. dicere ausus sit: *Dominus protector vita mea, à quo trepidabo ? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*. Ecce *cor meum* dicit, quia scilicet cordi DEO unitum fuerat; quid mirum ergo, si illud tam fortiter defenderit DEUS ? si enim ipse per Salomonem prov. 4. dixit: *omni custodia serva cor suum*: quidni etiam virum secundum cor suum ipse omni custodia defendat ? nimirum hic illud S. Pauli Rom. 8. implebitur: *diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum*: hinc locum habet illa S. Petri 1. c. 3. *adhortatio*: *quis est, qui noceat vobis, si boni amulatores fueritis ?* hinc verificabitur illa psalmistæ ps. 36. *propheta*: *lex DEI eius in corde illius, & non supplantabuntur gressus eius*. ut adeò meritò tali homini illam S. Augustini exhortationem applicare possimus: *quid timet homo in sinu (& in corde) Dei positus ? tu de sinu illius noli cadere, & quidquid tibi ibi evenerit, in bonum, non in malum cedit*. Imò cum placuerint Domino *via hominis*, etiam inimicos convertet ad pacem, teste Salomone Prov. 16.

Epilogus.

Quæ cum ita sint, audiamus S. Paulum ad Rom. 12. *momentem*: *nolite conformari huic saculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas DEI bona, bene placens, & perfecta*. Audiamus prudens consilium Sancti Doroth. 5. 17. *Coge te ipsum in cunctis, & vince, & voluntatem tuam*

tuam inprimis abscinde; si enim consueveris voluntatem tuam amputare, habui indues, Christi gratiâ & misericordiâ, quæ omnia sine molestia & repugnantia perficies, teque in libertatem perfectam afferes. Accedamus ergo ad altare B. Virginis, flentibus genua cordis nostri, dicamus cum S. Ignatio in exercitibus. *Suscipe Domine universam libertatem meam. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, hoc mihi largitus es; id tibi totum restituo, ac tuæ proflus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum factus; nec aliud quidquam ultra posco: sic revera gratum erit donum vestrum; sic felix peregrinatio; nec jam amplius diceatur; qui multum peregrinantur, raro sanctificantur, sed multum sanctificantur, multum consolantur, multum proteguntur & tandem etiam multum præmiabuntur, quod nobis omnibus per merita S. Dei Genitricis concedere dignetur SS. Trinitas P.F. & Sp.S. Amen.*

Nota similem in modum facile plures ejusmodi Conceptus formari pro tali concione posse.

Et 1. quidem ostendi potest, quomodo Cereum candidum in honorem hujus SS. Virginis (idem etiam ad aliorum Sanctorum honorem fieri potest) offerre queant, seipsum scilicet cum & B. Virgo suo modo erga nos usurpet illud Thomæ Kemp. l. 5. c. 8. *Quid magis à te requiro, quam ut studeas te mihi ex integro resignare? quidquid præter te ipsum das, nihil curis, quia non quero datum tuum, sed te.* Ostendatur ergo, quomodo constitutus debeat esse hic Cereus, quod videlicet tres partes habere debeat, sicut Cereus materialis. 1. *Ceram candidissimam*, & pulchris, amœnisque coloribus ornata; per quam nihil aliud intelligitur, quam corpus nostrum dono castitatis præditum, & exteriori etiam morum & conversationis decencia seu modestiâ instructum; quantopere enim hanc decenciam à nobis requirat Virgo Sanctissima, sat clarè aliquando Musæ Virguncula ostendit, cui, cum aliquando cum cœvis Puellis apparuisset, & num secum vivere vellet, quæstisset, Musæ que intrepidè, id unice se desiderare affirmasset, subjecit ipsa: *Non poteris in meum consortium admitti,* si hæ-

si has & illas levitates & jocos correxeris; quâ admonitione resipiens Musa, cum mores suos egregiè emendasset, à redeunte post viginti dies Virgine in cælum assumpta est, uti fufius in spec. Exempl. tit. MARIA. Ex. 1. videre est. Si ergo tantoperè etiam solam exteriorem modestiam averfatur Virgo Sanctiffima, quantò magis ipsam corporis luxuriam detestabitur; ut adèd meritò sibi quisque S. Hieronymum in epist. loquentem audiat: *Quæcunque virtute polleas* (seu quæcunque obsequia Virgini offeras) *quibuscunque opibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahis, atque adèd se cum integerrimo Juvene Joanne Societatis JESU se ad castitatem excitet dicens: Si vis esse Filius beatiffima Virginis (& eximius Cultor) Zelator esto castitatis tue.*

2. Ostendi potest, quomodo etiam lychnum tenerimum & candidissimum parare debeant, id est, animam, quæ à corpore sicut à Cera lychnus circumdatur, purissimam, seu ab omni peccato non tantùm mortali, sed etiam, quantùm fieri per humanam fragilitatem potest, veniali liberam, ut de ipsis perinde ac de B. V. dici possit: *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.* Si enim etiam in terris Matres pulchræ Filios pulchros habere gestiunt, quantò magis hæc purissima, & ab omni etiam originali macula libera Virgo tales habere cupiet; absque hac sanè puritate parùm reliqua obsequia placebunt, uti exemplo Juvenis immundo pectore preces persolventis supra indicato probari potest. 3. Denique ostendi potest, quomodo luminis ad Cereum requisiti loco amorem ardentem erga SS. hanc Virginem substituere debeant, cujus quidem amoris officia rectè per amorem demonstrantur; ut enim 1. Lumen omnia illustrat, & pulchritudinem cujusque rei ostendit; ita amoris erga B. Virginem primum officium est, magnam de illa æstimationem concipere, illudque S. Hieronymi S. de Assumpt. testimonium firmiter credere: *Si-*

cut in comparatione DEI nemo bonus, ita in comparatione Matris Domini nulla invenitur creatura perfecta quantumcunque virtutibus eximia comprobetur. 2. Sicut lumen semper sursum tendit, ita & amor per fiduciam in omni casu, quo vel gratia petenda vel malum deprecandum, concepta, uti S. Bernardus in S. de aqueductu hortatur dicens: Modicum illud, quod offerre desideras, gratiosissimis, & omnino acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. de qua profecto fiducia merito sibi quisque suo modo illam ejusdem Sancti in S. qui habitat sententiam dictam putare debet: Tantum per nos operabitur DEVS (& Mater DEI impetrabit) quantum se nostra ad eum fiducia extendet. 3. Sicut lumen continet magnum calorem, ita & amor magnum fervorem in obsequio ad B. Virginis honorem destinatis (quorum aliqua numerari possunt) in quo officio præstando exemplum Francisci Godoy Religiosi è Societate JESU ob oculos habendum, qui, cum semper ollas in Culina nitidissime purgaret, causam rogatus respondit, se manè omnia opera sua B. V. offerre, ac proin indecenti fore, si quid non egregiè nitidum ei consecraret. Merito ergo in hoc cultu quisque Consilium Siracidi cap. 3. ob oculos habere debet: In omni opere tuo præcellens esto, & ne des maculam glorie tue, quæ in eo consistit, quod eximius Cultor B. Virginis existas, & dicaris. Excitentur proin Auditores, ut hunc Cereum in manus sumant, cum magna reverentia offerant, & ut nunquam extinguatur, sollicitè procurent, Christi luberrimum monitum Mat. 5. sequentes: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum (& Matrem) qui in caelis est.

II. Ex occasione thematis: Rogo ergo vos, Imitari mei estote: 1. Cor. 4. dici potest, multos esse, qui in peregrinationibus tabulam beneficii accepti memorem, in qua B. Virgo depicta sit, appendant; hunc autem cultum multo per-

ctius perolvere eos, qui spirituales tabulam per imitationem B. Virginis appendere student; hanc enim tabulam ipsi gratissimam esse, uti S. Ildephonsus l. 1. de Assumpt. ostendit dicens: *Igitur dilectissimi, amate MARIAM, quam colitis; colus, quam amatis; quia tunc verè colitis, quam amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis.* Itaque tota concio in duas partes dividi potest. Et in prima quidem ostendi, in quo imitari maximè debeamus; quem in finem serviet sententia S. Ambrosii l. de Virg. dicentis: *Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas, vitæque B. MARIE, de qua velut in speculo resulget species castitatis & forma virtutis.* Hinc sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari Magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor Nobilitas est Magistri? quid nobilius DEI Matre? quid splendidus ea, quam Splendor elegit? quid castius ea, qua corpus sine corporis contagione generavit? Ita sanè S. Hedwigis Ducissa Poloniæ fecit, ut in vita illius 15. Octob. refertur, quæ continuo auream imaginem B. V. in manibus portabat, ut, quoties eam aspiceret, tum ad debitum illi cultum præstandum; tum ad præclaras virtutes illius imitandas incitaretur. Unde & in morte tam fortiter eam tenuit, ut nulla vi eripi potuerit, imò tres digiti, quibus eam tenuit, per viginti annos incorrupti manserint. Simili ergo modo nos B. Virginem in pectore tenentes, eandem nobis cit. S. Pauli verba dicere credamus: *Rogo vos, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, præcipuè in obedientia usque ad mortem Crucis; hinc enim maximè reperit, quod in Canæ Galilææ nuptiis olim dixerat: Quodcumque dixerit vobis, servate, & facite.* In secunda parte ostendatur fructus hujus imitationis, quem quidem in genere indicavit S. Ildephonsus l. 1. de Assumpt. dicens: *Imitamini Matrem Virginem & Sanctos omnes, quos laudatis, quoniam non tantum prodest ipsis nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio.* Et confirmavit S. Bernardus in l. super Salve Reg. *Agnoscit Virgo, & diligit diligentes se, & propè est invocantibus se, præsertim illi, quos videt conformes sibi factos in castitate & humilitate.* In specie verò hunc fructum declaravit ipsa sanctissima Virgo, quando Pictorem quandam, qui imaginem ipsius,

quàm poterat, artificiosissimè, Dæmonis verò speciem turpissimam effinxerat, post subtractum à Dæmone pegma, manus ad imaginem elevatam tamdiu manu extensa in aëre suspensum tenuit, donec homines miraculo attoniti de manuum depositis, uti fufius in Spec. Exempl. ex. 5. tit. MARIA refertur. Si ergo B. Virgo tam sollicitè à lapsu conseruavit illum, qui materialibus illam coloribus depinxerat, quanto magis eum, qui Spiritualibus illam coloribus per imitationem eximiè exprimere conabitur, à triplici lapsu aduersum casum, in peccatum, in infernum tutabitur. Ut uno alteròve exemplo, maximè illius Iuuenis Brabantici probari potest, qui, quia quotidie tres quinquagenas in honorem B. Virginis persoluerat, post mortem iam iamque damnandus fuisset, nisi ob preces diuine Virginis resuscitatus penitentiam agere potuisset, uti in Spec. Ex. V. bona in Julia ex. 3. fufius refertur. Excitandus itaque Auditor, ut ad imitationem hanc totis viribus se accingat, eandemque velut pulcherrimam tabulam B. Virgini offerat, non dubitans, quin gratissimum anathema antiquorum beneficiorum, & conciliatrix optima novorum sit futura. Sit ergo finalis conclusio. *Quicumque sibi MARIÆ optat premium, imitetur exemplum.*

III. Ex occasione thematis: *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen novum.* Apoc. 2. dici potest, laudabilem quorundam consuetudinem esse, ut coronas argenteas vel aureas uniuersis, gemmisve distinctas in templo, ad quod peregrinantur, appendant, sed hanc consuetudinem à paucis ob diuitiarum defectum obseruari posse, aliam proinde ostendendam coronam, quæ & gratior longè sit B. Virgini (aut alteri Sancto) futura, & cuius oblatio etiam ipsis offerentibus multò utilior & honorifica sit extitura, scilicet *Victoriam sui ipsius*; quæ omnia proin paulò fufius erunt demonstranda. Et 1. quidem ostendatur, in quo consistat hæc *Victoria sui ipsius*, scilicet in hoc, quòd inordinatam concupiscentiam rei cuiuscunque creatæ, ad quam magis inclinatos nos advertimus, superemus; uti rectè Thomas de Kempis l. 3. c. 57. ostendit dicens: *Perfecta victoria est de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subiectum tenet, ut sensualitas*

rationi, & ratio in cunctis obediat mihi, hic verè Victor est sui,
& Dominus mundi. Cùm autem difficile sit tot vitia, quibus
interdum aliquis subjectus est, simul superare, ideo imitan-
dum est exemplum Horatii Romani Militis, qui, cùm Ro-
manus & Albanus exercitus hoc inter se pactum fecissent, ut
tres ex quovis Exercitu seligerentur, eaque conditione inter
se certarent, ut, quicumque ex his ternariis succumberet, il-
lius etiam Exercitus Exercitum, ad quem Victores pertine-
bant, Victorem agnosceret, ejusque se potestati subijceret,
videns Fratres suos itidem Horatios jam succubuisse, ex altera
tamen parte tres Fratres Curatios ad Albanum Exercitum
pertinentes inæqualiter vulneratos esse, fugam simulavit, &
dum primum Curiatium utpote minùs læsum, celerius aliis
sequentem advertit, subito se convertit, eumque gladio
transfodit, eumque modum etiam cum secundo citius subse-
quente tenens, tandem, quia solus tertius, maximèque per
vulnera debilitatus supererat, etiam hunc facile superavit.
Certè ad hunc finem Examen particulare salubriter ab Asce-
tis excogitatum est, cujus scopus est uni vitio extirpando, &
quidem illi, quod præ aliis magis nobis aut aliis nocet, spe-
cialem curam adhibere, sibi que illud Regis Syriæ 2. Par. c. 28.
præceptum applicare: *Ne pugnetis contra maximum aut mi-
nimum, sed contra solum Regem.* sic enim perinde victoriam
contra alia quoque vitia facile obtinebit; sicut David devi-
cto Goliatho, & Bethulienfes occiso Holoferno Duce non
difficiliter reliquum Exercitum vicerunt. In secunda parte
ostendatur, quòd in primis hæc corona DEO & B. Virgini sit
gratissima futura; id quod facile ex Abrahami Patriarchæ
exemplo colligitur, qui, quia seipsum tam generosè vicit in
naturali amore erga Filium dilectum Isaac expugnando, au-
dire à DEO meruit: *Per memetipsum iuravi, quia fecisti rem
hanc, & non pepercisti unigenito tuo Filio propter me, benedicam
tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli.* Quantò ma-
gis DEO & B. Virgini placebit, si, quis semetipsum generosè
vincere, Deoque in holocaustum gratissimum offerre studeat.
Deinde pariter ostendatur, quòd hæc victoria ipsi Victori
utilissima sit futura, quia, ut rectè pius Author l. 1. c. 25. ad-
vertit, ibi homo plus proficit, & gratiam meretur amplio-
rem, ubi magis seipsum vincit, & in spiritu mortificat. ut
adeo

adeo in tali Victore impleatur, quod 1. Reg. 17. Davidi in
 sponsum est: *Virum, qui percusserit Philisthaum, dabitur ei
 divitiis multis*, illis videlicet, de quibus S. Bernardus ait
*Vera divitia non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia
 portat, ut in aeternum dives fiat.* Sed non utilis duntaxat
 sed summè etiam honorifica & gloriosa hæc victoria quod
 futura, colligitur ex Judith Holofernem Vincentis exemplo
 quæ propter talem victoriam magna facta est in Jerusalem
 & præclarior erat universæ terræ Israël, uti Jud. c. ult. legi-
 tur; quanto magis talis honor ob victoriam sui ipsius, qui
 omnium victoriarum maxima à Sapientibus æstimatur, spe-
 rari poterit? certè hoc tam copiosæ promissiones à DEO
 Apocalypsi c. 2. & 3. factæ indicant: *Vincenti dabo manna
 absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen
 novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui vocat
 faciam illum columnam in templo DEI mei; vestietur vestimen-
 tis albis, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram
 Angelis eius. & tandem dabo ei sedere mecum in throno meo.*
 an non ergo qui vis seipsum illis Josephi & Azariæ 1. Mach.
 verbis alloquatur: *Faciamus & ipsi nobis nomen, & pugnemus
 contra Gentes (& vitia) quæ in circuitu nostro sunt.* maxime
 cum summam etiam jucunditatem & lætitiæ ex tali victo-
 ria sperare possimus; uti DEVS ipse per Mannæ promissi-
 onem indicavit; & Sponsus quoque de Sponsa Cant. 7. falsus
 est dicens: *Quam pulchra es & decora charissima in deliciis.
 Statura tua assimilata est palma, & ubera tua botris.* quid e-
 nim per botros istos, nisi lætitiæ internæ vinum significatur,
 de quo rectè Thomas Kemp. l. 3. c. 32. dixit: *Vinam tecum
 sic esset, & ad hoc per venisses, ut tui ipsius amator non esses, (sed
 votius te vinceret, & rationi subijceret) tunc mihi valde pla-
 ceret, & tota vita tua in gaudio & pace transiret.* perinde ferè
 sicut de Juditha post victum Holofernem dictum est: *Erant
 autem Populus iucundus secundum faciem Sanctorum; & tem-
 pore Judithæ nemo persequatur Israël.* Excitentur ergo Audi-
 tores ad hanc coronam B. V. offerendam, dicendumque cum
 Davide Ps. 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam il-
 los, & non convertar, donec deficiant.* Ut & cum S. Paulo 1.
 Tim. 4. dicere olim queant: *Bonum certamen certavi, fidem
 servavi, cursum consummavi; de reliquo reposita est mihi corona*

na iustitia, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.

IV. Ex occasione thematis: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus cum Muneribus adorare Dominum*: dici potest, laudabilem quidem esse consuetudinem Ecclesie, quod certis temporibus peregrinationes sacras instituat; sed non semper optatum ex talibus peregrinationibus fructum reportari; unde natum proverbium illud: *qui multum peregrinantur, raro sanctificantur*. Ne ergo idem de Auditoribus quoque dici queat, dic te ostensurum, quomodo peregrinationes tales recte & cum fructu obiri debeant, ad modum scilicet primae peregrinationis ad Christum à tribus Magis institutæ, qui pulchre suo exemplo docuerunt, quid ante peregrinationem, quid in illa, & quid post illam sit observandum. Nam 1. ante illam bonum finem & intentionem sibi præfigebant, nihil aliud quærendo, nisi ut possent Christum cum Matre sua salutare & adorare; ita enim ipsi indicârunt inquirentes: *Vbi est, qui natus est, Rex Iudaorum, vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum?* hæc ergo intentio tantò diligentius præfigenda est, quantò magis dolendum est, tam multas, gravèsq; molestias, quæ in tali peregrinatione tollerandæ sunt, sine optato fructu & merito suscipi, uti fieret, si bona intentio non præcederet; hic namque locum habet illud Christi effatum Matt. 6. *Si oculus tuus (& intentio) nequam fuerit, totum corpus (peregrinationis tuæ) tenebrosum (seu infructuosum) erit.* Et ex hoc videlicet capite sæpe contingit, ut multi multum peregrinentur, & tamen raro sanctificentur; verè enim de peregrinantibus suo modo dici potest, quod S. Bernardus alicubi de scientiam sectantibus dixit: *Alii scire volunt (aut peregrinari) ut sciant, & tum locum ipsum, ad quem tendunt, tum thesaurum ipsius vel alia visu digniora cognoscant, & curiosus est; alii, ut sciantur, & ab Amicis & Cognatis iterum aliquando videantur, & bene habeantur, & vanitas est; alii, ut adificentur, id est, tum per reverentiam loci ad pietatem, vitæque emendationem incitentur; tum variorum bonorum collationem, aut malorum amotionem impetrent, & prudentia est; alii, ut adificentur, id est, vel bonum exemplum præbeant, aut pro aliis apud B. Virginem, aliòsve Sanctos intercedant, & charitas est.* Quare si usquam alibi, observandum erit in his peregrinationibus

bus

bus Apostoli Pauli monitum: *Sive manducatis, sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* 1. Cor. 10. quem in finem in ipso mox peregrinationis sacre initio talis intentio in memoriam revocatur, dum dicitur: *Procedamus in nomine Domini.* 2. In ipsa peregrinatione stellam Ducecem diligenter secuti sunt, & ubi ad Præsepe venerunt, proidentes adoraverunt Christum, & munera, aurum, thus, myrrham obtulerunt; simulque pulcherrimo iterum exemplo docuerunt, quomodo Peregrini se in sacra peregrinatione gerere debeant; sequendo scilicet Vexillum velut Ducem suum, nec à turba aliorum Comitum se separando; deinde verò in ipso loco & termino peregrinationis non circumstantando per templum aut plateas, omniâque curiosè lustrando sed procidendo in genua, Deumque & B. Virginem religiosè salutando, & adorando. Et tandem munera, nempe thaus devotæ orationis, & communionis, aurum charitatis per contritionem & pœnitentiâ renovatæ, myrrham Mortificationis vel patientiæ in tolerandis peregrinationis molestiis. Post peregrinationem per aliam viam reversi sunt in regionem suam; id quod & peregrini facere debent per seriam virtutem emendationem, ita ut, sicut de Adolescente quodam muliere cum Muliere quâpiam consuetudinem habente referunt quòd, cum in peregrinas Provincias profectus, ex his in Patriam fuisset reversus, & Mulier illa obvians quæsi visset, ut eam non ampliùs nôset, se enim esse illam, quam olim peritopere deperiisset, responderit; *ast ego non sum ego*; sed totum mutatus, ita & ipsi de se hoc dicere possint, atque adeò exclamare cum S. Paulo: *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus*, per gratiam & bonam conversationem.

V. Ex occasione thematis: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cant. 6. dici potest hanc sententiam meritò Turbæ ad sacra loca peregrinanti (dicitur Creugbold) applicari posse, utpote quæ & ipsa sit quasi aurora consurgens, dum optimâ intentione suscipit peregrinationem; *pulchra ut Luna*, propter splendorem in apparatu Vexillorum, imaginum sacrarum, reliquiarum portatarum & *electa ut Sol*, propter exemplum illustre devotionis & modestiæ in ita & reditu observatæ; sed præcipuè *terribilis ut castrorum*

strorum acies ordinata; cum & finis ipsius non alius sit; quam DEVM & Sanctos expugnare ad varias gratias conferendas, vel mala averrenda; & omnia, quæ in talibus peregrinationibus fieri solent, valde magnam habeant similitudinem cum exercitu. Quid enim Crux prælata aliud nisi Vexillum significat, sub quo militare debeamus, & audacter dicere: *Ecce Crucem Domini; fugite partes adverse.* Et iterum: *Vexilla crucis prodeunt, fulget crucis mysteriū?* quid aliud oratio & cantus nisi militare carmen indicat? quid aliud libelli precatorii nisi pharetram, ex qua orationes varix velut tela acutissima cælum penetrantia desumuntur? quid globuli sacri Rosarij nisi pilas minores? quid sacra hostia oblata nisi pilas majores? quid baculi in manibus nisi gladios? quid Concio nisi adhortationem ad prælium? quid cerei nisi funes igniarios (*Händstrick*) significant; unde meritò concludunt aliqui, tunc sacram peregrinationem fructuosè & rectè peractum iri, si omnia, quæ in Exercitu bene constituto reperiuntur, observentur. Nam sicut 1. in Exercitu oportet omnes milites *bene sanos & validos* esse, ita Peregrinos quoque non tam quoad corpus, quam quoad animam sanos, id est, in gratia DEI constitutos esse decet; alioqui verificabitur, quòd S. Gregorius in Pastor. dixit: *Cum is, qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur;* unde & Evangelicus cæcus Joan. 9. dixit: *Scimus, quia peccatores DEVS non audit;* nam, ut idem sanctus Gregorius sapienter advertit, *dignum profectò est, ut ab eius beneficiis extraneus existat, cuius iussionibus non vult esse subiectus.* Quare meritò talis Turba peregrinans timere potest, ne audire cogatur, quod Josue 7. c. Exercitus Israëliticus audivit: *Anathema (sive peccator) in medio tui est Iyræ, non poteris stare coram hostibus (aut DEO, & Sanctis) donec delcatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Eum in finem toties *Kyrie eleison, Pater de calis DEVS, miserere nobis &c.* ingeminatur, ut omnes meminerint cum DEO in gratiam redire. 2. Sicut in Exercitu debent multi, & quidem non Gregarii duntaxat Milites, sed etiam Duces comparere; ita & in processione sacra non tantum plebei, sed etiam Magistratus, & Nobiles comitari debent vexillum; quod bene notent 1. illi, qui putant eiusmodi processiones ad solos Rusticos, Famulos, aliòsque vi-
liores

liores homines pertinere; hi enim meritò vereri debent, contingat illis, quod olim Marito cuidam contigit, qui nihil orabat, dicere solitus, uxorem suam pro se orare, quodam in raptu vidit se ante cæli portam cum uxore & multis aliis consistere, cumque uxore & aliis intromissis, etiam ipse intrare vellet, audivit dici sibi à Janitore: Uxorem, sicut & ego ipse oravit, ita loco ipsius quoque cælum ingressam esse. His profectò dicit Christus illud Luc. 9. *Qui me erubuerit hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in Maiestate Patris sui*; sicque verificabitur suo modo, quod S. Augustinus olim cum gemitu dixit: *Surgunt indocti, & cælum rapiunt, & doctrina nostra* (seu nobilitate aut dignitate) *volunt amittere carne & sanguine*. His ergo ob oculos versari deberet Exemplum S. Caroli Borromæi, S. Elisabethæ Landgraviæ Thuringiæ, Ludovici Regis Alemanniæ, qui non modò cum summa devotione interesse talibus Processionibus, sed nudis etiam pedibus eas obire voluerunt. Thomas Morus verò Cellarius Regni Angliæ ipse Crucem præferre non erubuit & nunquam equo uti voluit dicens: *Nolo Dominum meum peditem eques sequi*. Notent 2. id ipsum illi, qui irridentes ejusmodi peregrinationes velut superstitiosas aut supervacaneas non horrent; hi profectò meritò timere debent, ne sicut olim Michol irridens Davidem coram arca saltantem, sterilis facta est, ita ipsi quoque steriles in bonis operibus efficiantur; aut ne omnino eveniat, quod Hæretico in Westphalia evenit, qui, quia Catholicorum supplicationem irrisit, subito febre correptus est, Dæmonique se jamjam tradendum exclamavit, uti fusiùs Pædagogus Christ. p. 2. c. 14. §. 4. refert. 3. Sicut milites bonum ordinem servare debent; ita & Peregrinantes curare, ut bini vel terni incedant; talis quippe ordo ad triplicem finem conducit 1. ad ædificationem, & discrimen sit inter agmen Christianorum & brutorum temerè exeuntium. 2. ad decentiam; decet enim, ut Christum in Cruce præeuntem cum Modestia sequantur, cum dictum sit S. Gregorio Nazianz. ep. 193. *Vbi Christus est, ibi modestia quoque est*. 3. ad propriam devotionem promovendam; nam, ut S. Bernardus l. 2. de purif. ait, *turbat processionem quis solitarius incedere curat, nec sibi soli nocet, sed & ceteros est molestus*. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales,

vitium non habentes, nec solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Tales ergo ob oculos habere debent exemplum, quod de Asinis in campo versantibus Orlandinus in historia Societatis ad annum 1537. scribit, quod scilicet, cum Sacerdos quidam Evcharistiam ad ægotum sine pompa, & comitatu deferret, illi ex utroq; viæ latere repente discreti in genua prociderint, & pulchro ordine præeuntem usque ad aedes Infirmi comirati sint, nec prius discesserint, quam egressus Sacerdos ad sua illos pasqua cum benedictione dimiserit. 4. Sicut Milites, ut fortiores sint, conjuncti & bene concordēs esse debent; ita & Peregrinantes per charitatem fraternam bene unitos & conjunctos esse oportet; cum enim Christus Matth. 18. dixerit: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.* Quidni multitudo peregrinantium quoque, si bene per charitatem consentiat, omnia, quæ petere statuit, facillè se impetraturam confidat? quod bene notare debent, qui inimicos habent, & ignoscere nolunt; hi namque planè dissipant hunc exercitum, & infirmum faciunt; quomodo enim placari potest DEUS, si ipsi erga Proximum non placentur? quomodo vultum benignum ab ipso sperare possunt; si ipsi torvè Proximum aspiciant? quomodo dimissionem peccatorum petere, si ipsi non dimittant? quomodo varia dona & gratias postulare, si charitatem ipsi negent? Quilibet ergo sibi applicet illud Christi Matth. 5. *Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quod Frater tuus habeat aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari Fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* 5. Sicut Milites in Exercitu armis bene instructi esse debent; ita & peregrinantes, talia autem arma sunt Rosaria, libelli precatorij, vel quæcunque aliæ orationes, sedulo & ferventer usurpatæ; ad hunc finem sanè variæ Litanix & aliæ Cantiones præcitantur, imagines Sanctorum & Christi præferantur, Cerei accenduntur, Sacrificium offeritur, concio habetur. Unde graviter errant, qui loco templorum hospitia frequentant; loco sacræ confessionis & communionis comestationibus vacant; loco B. Virginis Amasias salutant; loco cantionis aut orationis lusu se recreant; hi profectò meritò timere possunt, ne accidat, quod in monte B.

Virginis anno 1611. evenit, dum 1500. Personæ peregrinæ
 flammis ob peccata in hospitio perpetrata perierunt, ipsaque
 B. Virgo visa est flammis subdere, uti fufius iterum apud Pa-
 dag. Christ. p. 2. c. 14. §. 4. videre est. 6. Sicut Milites ante
 finem prælii è campo discedere non debent; obtentâ ven-
 victoriâ gratias agere, & spolia dividere; ita & Peregrinos
 Societate & Vexillo discedere non oportet, donec domum
 redierint, atque adeò illud Christi Matt. 10. ob oculos ha-
 bendum: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* 7.
 est, fructum sacræ peregrinationi præfixum obtinebit. Sed
 & gratias agere pro donis impetratis decet, quod quidem mo-
 liori modo præstari non potest, quàm si quis donis obtentis
 bene utatur. Impetrâsti ergo peccatorum remissionem, ca-
 ve, ne relabaris? Impetrâsti gratiam? cave, ne amittas? Im-
 petrâsti pluviam, & fruges bonas? cave, ne malè utaris? Im-
 petrâsti liberationem ab incendio? cave, ne domo salvatâ
 abutaris ad vitia, & ignem æternum accendendum. Impe-
 trâsti varia dona? Participa cum proximo per elecmosynam
 & memento, quid dixerit Tobias c. 12. *Bona est oratio (& pe-
 regrinatio) cum ieiunio & elecmosyna.* Ad hæc ergo excu-
 rationi mandanda excitentur Auditores, certòque sibi persua-
 dere jubeantur, quòd victoriam obtenturi, & id, quod pe-
 tunt, à DEO & Sanctis obtenturi sint; sique tali modo con-
 tra DEUM prævaluerint, quantò magis contra homines præ-
 valebunt, ut olim Gen. 32. Angelus Jacobo dixit: Sic tibi
 dem mutabitur proverbium, diceturque cum veritate: *Qui
 multum peregrinantur, multum sanctificantur, benedicuntur,
 protegentur, à DEO & Sanctis diliguntur, & variis do-
 nis quâ temporalibus, quâ æternis exornantur.*

VI. Ex occasione thematis: *Ascendentibus illis secundum
 consuetudinem diei Festi, remansit puer IESVS in Ierusalem.*
 Luc. 2. ostendi potest inprimis antiquitas Peregrinationum
 utpote quæ ab ipso jam Christo & Parentibus illius secundum
 consuetudinem Judæorum fuerint frequentatæ. Deinde veritas
 & præcipue ostendi potest utilitas earundem ex eo, quòd om-
 nes conditiones, quæ ad impetrandum aliquid à DEO (quod
 quam impetrationem potissimum peregrinationes instituentur)
 requiri possunt, in peregrinatione deligentur, obtinentur.
 Si enim 1. oratio tantò est gratior & efficacior, quantò gra-
 tius

ed gratior est ille, per quem offertur (uti in Exemplo Berfabea, & Estheris patet, quarum illa Filio Salomoni regnum, ista liberationem Populi sui impetravit) quidni meritò B. Virginis Patrocinium in loco, in quo magis propitiam se exhibere solet, ambiatur, & per eam varia dona à DEO petantur, & sperentur? an non enim hinc meritò illa S. Bernardi sententia ob oculos habetur: *Modicum illud, quod offerre desideras, gratiosissimis, & omni acceptione dignissimis MARIÆ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam?* 2. Si non parùm juvat ad Orationem, si plures simul orent (hic enim Christus ipse indicavit Matth. 18. *Si duo consenserint &c.* & confirmat S. Ambrosius l. de pœn. dicens: *Multri minimi, dum congregantur unanimes, sunt magni, & multorum preces impossibile est non audiri*) an non iterum peregrinationes singularem Orationi efficaciam addent, ubi tam multi congregantur, & unanimes sua vota, precésque DEO offerunt? Hoc sanè firmiter jam olim Bethulienfes cives credebant, qui cum in manifesto periculo interitus constitutos se cernerent, convocatus est omnis Populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt, petentes auxilium à DEO Israël. Judith. c. 6. Eundem ob finem Propheta Joël c. 2. clamavit: *Vocate catum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, & fugentes ubera. Inter vestibulum & Altare stabunt Sacerdotes Ministri Domini, & dicent: Parce, Domine, parce populo tuo.* 3. Si juxta Siraicidem c. 35. *Oratio humiliantis se penetrabit nubes, &, donec propinquet, non consolabitur; & non discedet, donec altissimus aspiciat;* an non iterum ex hoc capite peregrinationes multùm utiles & efficaces censebuntur ad orationem DEO gratam efficiendam, utpote quæ plerumque pedibus non sine magna demissione, licèt equi & currus multis suppetere, peraguntur. Sic sanè S. David 2. Reg. c. 15. Ascendebat Olivum Olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & aperto capite; & omnis populus, qui erat cum eo, aperto capite ascendebat plorans. Sed & ipse Christus Luc. 22. egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum, & positus genibus orabat. Ne verò etiam nostrorum temporum exempla desint, ex quibus colligatur, quàm efficaces sint ejusmodi processiones ad ea, quæ à DEO petuntur, impetrandam,

da, memorabile inprimis est, quod ex Nicolao Serrario Pædagogus Christianus p. 2. c. 14. §. 4. refert, quod scilicet in Infula Chio Christiani circa annum 1600. cum summa in illo loco siccitas reperiretur, & tam Turcæ, quam Judæi & Græci Schismatici precibus & clamoribus suis eo sine ulla effectus frustra pluviam impetrare conati fuissent, processione cum imagine B. Virginis in vicinum collem instituta tam copiosam impetrarint, ut ipsimet Turcæ pluviam talem vel evidentiſſimum DEI donum manibus exciperent, & exultarent; nonnulli verò ex ipsis etiam in eadem Catholicorum venirent, & ad imaginem magnæ DEI Matris venerandi procumberent. Aliud non minus memorabile de Porphyrio refert, idem Pædagogus, quod scilicet cum Civitas Gazæ urbem septem diebus frustra à suo Idolo pluviam petissent, ipse ductis 280. Christianis ad templum S. Ascipii Episcopi, & S. Timothei tam copiosas etiam pluvias impetravit, ut ne Gentiles quidem dubitarent, precibus Christianorum has pluvias fuisse impetratas, ideòque portis, quæ eis è templo revertentibus occluserant, referatis passim clamarent: *Christus solus DEVS, ipse solus vici*; ipsosque Christianos ad templum pro agendis gratiis secuti sint, 176. eorum ad fidem Catholicam conversis. Quis verò nescit mirabilem effectum, quem S. Gregorius Magnus per processionem à se pro avertenda sævissima peste institutam obtinuit, cum scilicet Angelum in Castro stantem, & evaginatum gladio in vagina recondentem vidit, & mox pestis grassari desinuit. Sic nimirum DEUS in similibus casibus, quod S. Henricus Imperator, teste Radero in Aula sancta c. 24. fecisse dicitur, qui, cum Urbem Trojam obsideret, & illam solo te æquatorum jurasset, omnibus masculis in furcam actis, processione ab ipsis obsessis cum prælata Cruce, instituta, & pueris lacrymabili voce Kyrie eleison clamantibus adeò commotus est, ut illacrymans dixerit: *Misereor super turbam*: & mox urbem pepercerit. Quis ergo Processiones non magni æstimer, & benè suscipiat, & religiosè peragat? quæ itaque, quæ causa est, cur quandoque talibus processionibus tam pauci terant? Vereor sanè, ne iterum dici queat: *Et ceperunt omnes excusare*: nam 1. aliqui frivolum illud pronuntiant: *quid dicent homines?* si ego in tanta dignitate, aucto-

thoritate, aut nobilitate constitutus, plebeix turbæ me
 thorem, Rosarium in manibus portem, & aperto capite, pedi-
 bus Sacerdotem & Crucem sequar? Hos profecto non me-
 lius refutare possum, quàm Davidis exemplo, qui, ut 2. Reg. 6.
 legitur, cum deposito cultu regio, amiculum lineum induis-
 set, & arcam pio ac gestiente corpore & animo comitatus
 fuisset, irrisus licet ab uxore Michol, non destitit à proposito,
 sed in has notatu dignissimas voces erupit: *Ludam, & vilior
 sum plus, quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis, & cum
 Ancillis, de quibus locutus es, gloriosior apparebo.* Si ergo Rex
 tantus non dedecori sibi duxit, Processioni interesse, cur in
 minori longè dignitate constituti, id vitio sibi vertendum
 timeant? 2. Alii timent ne interea damnum in bonis tem-
 poralibus, aut lucro cessante patiantur; sed hi meminisse de-
 bent, quid DEUS Exodi 34. c. promiserit, dum dixit: *Nullus
 insidiabitur terra tua, ascendente te, & apparens in conspectu
 DEI tui ter in anno. Cum ergo nisi Dominus custodierit civita-
 tem, frustra vigilet, qui custodit eam,* facile contingere potest,
 ut, si tuæ custodiæ nimis confidis, & ideo negligis Processio-
 nem, domi tibi incommodum aut damnum nascatur, quod
 passus non fuisses, si cum vera ad DEUM fiducia Processio-
 nem fuisses comitatus; ita enim jam olim Majores nostri
 senserunt, dum dicere sunt soliti: *Durch Kirchengehn ver-
 saumet man nichts: durch Allmusen geben erarmet man nicht.*
 Ita & Philippus I. Rex Hispaniæ sensit, qui, cum Cordubæ
 olim in solenni processione moneretur de capite, ne ardor so-
 lis noceret, tegendo, responsum pium ac Catholico Rege di-
 gnum dedit dicens: *Sol hoc die non nocet.* 3. denique alii
 dicunt, ubique DEUM & Sanctos invocari posse, nec esse o-
 peræ pretium, ut tam molesta & longa itinera ob hunc finem
 suscipiantur; sed & hi errorem suum facile agnoscent, si me-
 minisse velint, quòd jam olim DEUS, ut paulò antè vidimus,
 præcepit Judæis, ut ter in anno in Jerusalem peregrinaren-
 tur; sed & defacto in aliquibus locis gratias largiatur pere-
 grinantibus, quas frustra hi prius in Patria sua petierant? ad
 quem finem autem hæc omnia facit, nisi ut ad peregrinatio-
 nes instituendas homines incitaret? an non enim aliàs æquè
 dici DEO potuisset, ubique bonum esse orare, ubique eum
 juvare, & favores suos conferre posse? sancta ergo & salubris
 est

est consuetudo, Processiones instituendi, & vel ideo tantò frequentius retinenda, quòd per eam orationes nostræ gratior DEO, & pro nobis efficaciores existant; dicat ergo quilibet cum S. Davide: *Introibo ad Altare DEI* (ad hoc vel illud templum) *ad DEVM* (& B. Virginem, aut alium Sanctum) *qui letificat inventuram meam* (& cor meum) *liberando me a malis presentibus & futuris; & animam celestibus donis implendo, quales nobis quoque concedat per merita SS. Matris sui Servator noster, qui cum Patre &c.*

§. III.

Quomodo in Congregationibus Rosarii haberi conciones debeant.

Thema.

Veniat dilectus meus in hortum suum. Cant. 5.

Scopus.

Rosarii præstantia, utilitæque demonstranda.

Syllogismus principalis.

Illud exercitium devotionis merito suscipitur, quod & in præstantissimum est, & plurimos exercenti fructus affert; atque tale est exercitium Rosarii recitandi; ergo hoc exercitium merito suscipiendum, & frequentandum est.

E X O R D I U M.

Non dubito, quin sæpius hætenus non pauci ex vobis mirati sint, cur Congregatio hæc, in quam inscripsi estis Congregatio Rosarii vocetur; neque enim hæc Congregatio horti similitudinem, aut illa Exercitia, quæ ab ea præscribuntur, rosarum speciem referre videntur; his non melius respondere possum, quam referendo historiam, quam Joannes Major in Speculo Exemplorum V. B. Virgo MARIA sequentibus verbis refert: Legitur in libro Exemplorum B. Virginis, quòd scholaris quidam Juvenis B. Virgini multum devotus hanc sibi consuetudinem fecerat, ut de odoriferis